

Ecclesia creare molestias iam pridem per Sacramentarios ceperit : Veterum quidem hæreticorum nominibus suppressis , at iis ipsis eorum erroribus postliminiò in theatrum reductis.

3. *Statuit Paulus Samosatenus , teste Suida & Theodoro presbytero Rhatensi , δύο φύσεις ἐν χριστῷ διηρημένως ἔχοντας , καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτοὺς παντάπασι : duas in Christo naturas divisim sese habentes , & ad invicem prorsus incommunicabiles.*

4. *Pari impietate Sacramentarios , & horum complices Iesuitas , duas in Christo naturas divisim sese habentes , & invicem prorsus incommunicabiles statuere tam est certum , quàm certum Solem lucere in meridie.*

Neostad.
in Admon.
dp l. conc.
p. 27.

Catech.
Heid.

Quæst. 48.

5. *Hoc ipsum enim apertissimè demonstrant Emblemata illa , quæ gens Sacramentaria scriptis suis nusquam non infarcit : quale est istud Neostadiensium : Est in Christo natura , quæ in terra manet , post quã caro ascendit in cœlum. Et illud Catechismi Heidelbergenfis : Cum divinitas comprehendi non queat , & omni loco præsens sit , necessariò consequitur , esse eam extra naturam humanam , quam assumpsit. Quam eandem impietatem Pezelius etiam sibi fecit propriã , in demonstrat. contra D. Hunnium pag. 36.*

Nesto-